

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0730

0728

0734

0724

0739

157

vacabant, et sine labore abundabant propter terrae fertilitatem. Quinto manum pauperi et egeno non porrigeabant, quia immites erant, et nullum hospitio recipere volebant alienum, ut patet Genes. XIX, quia alienis non erat hospitium, nisi platea publica. Fecerunt enim municipale statum (statutum) ne quis adventantes hospitio reciparet, quia regio erat abundans, et multi pauperes de alienis regionibus ad vallem illam confugiebant propter facilem nutritionem. Putabant autem se gravari a pauperibus, ordinaveruntque expelli pauperes et hospites, unde puellam quandam necaverunt saeva morte, quia hospitalitatem exhibuerat et panem obtulerat cuidam pauperi se petenti. Ex his quinque sequebatur sextum, detestabilissimum sodomiae vitium, quod unum est de quinque vitiis clamantibus in coelum. Unde Genes. 18. et 19. dixit Dominus: clamor Sodomae et Gomorrhæ multiplicatus est etc. Nec fuit inventus innocens, hoc vitio non maculatus, nisi Loth. Quo per angelos educto pluit Dominus ignem et sulphur in regionem illam, et universa consumta sunt usque in terrae viscera igne coelesti terribiliter grassante, versaque est regio illa in locum sterilem salis et foetidum, usque in hodiernum diem. Cessante enim igne, Jordanis et alii torrentes in locum exustionis incidentes voraginem et hiatum, quem ignis terram consumens reliquerat, impleverunt in longum et latum, et ita factus fuit lacus salis. Quamvis autem Jordanis et alii torrentes aquam dulcem loco inferant, statim tamen salsissima efficitur, ultra omnes aquas salsas caeterorum marium, quia quadruplicem causam habet suae salsedini, scilicet naturalem, rationalem, catholicalem et divinalem.

Prima causa salsedini illius maris est naturalis, et est eadem, qua et alia maria salsa sunt, ut patuit supra fol. 43. Et de hoc causa disputat Aristoteles 2. Meteor. per multa argumenta. Ubi etiam manifeste in textu fit mentio de illo mari et excessiva ejus salsedine.

Secunda ratio ostendit, hoc mare esse magis salsum aliis, ex fideli ratione, cui quis potest consentire vel non. Cum enim ignis coelestis terram illam incendit, et in profundis consumsit, mansit ipsum abyssale fundum ignitum, sicut ferrum igne incensum, et aquae super infusae non solum non

0719

0779

0679

0829

0629

0229

Ende

Anfang

